



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Quæ testimonia Alchoran continent, Christvm Dei filium esse. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

honorem & gloriam augendam aduenisse, & nequaquam suam querere, ut Euangelium attestatur.

Q V O D T E S T I M O N I A A L C H O R A N

continent, CHRISTVM Dei filium esse.

Cap. XVII.

*Christo datū à
spiritu diuino te
stimoniū, quod
sit filius dei.*

Diceret aliquis: Quid sibi uult Alchoran, ubi fatetur, quod CHRISTO Mariae filio spiritus diuinus auxilium atq; testimonium extitit? Spiritum diuinum testimonium dedisse CHRISTO, Ioannes Zachariae attestatur: ut in euangelio scribitur. Aitenim: Quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de caelo, & manentem super IESVM; & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit: super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, & ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Spiritus igitur diuinus in columbae specie super CHRISTVM in Iordane descendens, dedit testimonium, quod & Ioannes perhibuit, CHRISTVM esse filium dei. Dedit etiam in omnibus apostolis ille spiritus, & alijs sanctis testimonium, usq; ad mortem inclusive, quoniam IESVS est CHRISTVS filius dei. Quale autem auxilium dederit CHRISTO in uirgine Maria concepto de spiritu sancto, & in omnibus qui spiritum sanctum receperunt pro arra promissionum CHRISTI, & quomodo ille suggessit fidelibus ut intelligerent ueritatem eorum, quae CHRISTVS locutus fuit, quoniam est spiritus ueritatis, sciunt, qui euangelium attente, atq; sanctorum scripta studuerunt. Hoc meo arbitratu notandum, quomodo Alchoran extollit Ioannem Zachariae, tanquam illum cui omnino credendum: quem dicit uirum bonum, uirginem perseverantem, magnumq; prophetam, uerbum dei confirmantem, & similiter testimonium sancti spiritus allegat. Haec omnia misericors deus inseri uoluit, ut sic sapientes remittat ad ueritatis testimonia, ne CHRISTO detrahat, si rudi populo hoc palam non publicat, ob causam supra positam, CHRISTVM filium Dei. Nam etsi dixerit Deum inuisibilem, incorporealem & quem nemo unquam aperta facie uidit, ita quod quisq; bene intelligere poterit inuisibilem CHRISTVM sensibilibus oculis non fuisse, secundum conditionem illam inuisibilem & corporalem, deum: tamen quia timuit, spirituale diuinum uerbi Dei naturam incredulos attingere non posse, ideo illis idiotis & ignaris, quibus loqui oportebat ut talibus sensibilibus, de intellectualibus nihil sentientibus, cautiùs considerabat negatiue praedicandum, CHRISTVM Mariae filium non esse filium Dei, cum filius Mariae homo corporalis & uisibilis esset, quae naturae diuinae non conueniunt. Eum tamen habere uirtutem & potestatem diuinam, quae sola fide uideri potuit, attestantibus operibus illis miraculosis, quae nemo hominum ante eum fecit; negare non potuit.

*Ioannis Bapti-
stae laus ex Al-
chorani testimo-
nio.*

Q V O M O D O A L C H O R A N I N T E L L I G I

debet, CHRISTVM esse spiritum & animam Dei.

Cap. XVIII.

*Christus quo-
modo spiritus
& anima Dei.*

Diceret, Cur fatetur Alchoran CHRISTVM spiritum Dei: & alibi, quod Deus ipsi animam suam proprie contulit. Dicimus, Alchoran animam & spiritum saepe pro eodem capere: & nos intelligimus per illa, uitam illam intellectualem, quae sapientia est. Contulit enim ei Deus piam & misericordem animam suam, hoc est uitam, non appropriatè, sed proprie, ita ipse CHRISTVS ait in euangelio: Sicut pater habet uitam in semetipso, ita dedit filio uitam habere in semetipso. Ecce quomodo Deus pater animam seu uitam suam proprie de-